

sum in aliquo casuum predictorum malefactor non haberet unde facere securitatem pro condempnatione in eum facta vel fienda, ponatur in carceribus comunis, in quibus stet usque ad terminum ei per dominium Tergesti de solvendo dictam
 5 condempnationem datum, et si non solverit in dicto termino dictam condempnationem, puniatur secundum formam statuti Tergesti, videlicet quod si fuerit forensis frustretur et buletur in libertate dominii, et si talis forensis de carceribus fugeret, baniatur de civitate Tergesti, et si post bannum caperetur pa-
 10 tiatur eandem penam prout fuerit condempnatus; et si fuerit civis Tergesti stet in carceribus comunis quousque solverit predictam condemp[n]ationem in eum factam. ¶ Et si quis forensis et habitator Tergesti vulneraverit aliquem forensem extra civitatem et di- // strictum Tergesti, tam cum sanguinis 124 A
 15 effusione quam sine, et querela pervenerit ad dominium per lesum sic offensum extra districtum et civitatem Tergesti, dominium Tergesti non possit neque debeat procedere contra talem forensem habitatorem Tergesti occasione dicti maleficii sive offensionis sic factarum ut supra continetur.

20 Cap. VII. De confinibus plateae ¹⁾ civitatis Tergesti designatis. Et de maleficiis commissis infra predictos confines.

Ordinamus quod confines plateae civitatis Tergesti sunt
 25 infrascripti, videlicet a domo heredum condam ser Vigelmini Copa citra versus plateam comunis, et per stratam que protendit a dicta domo, per ante domum que fuit condam ser Bertucii Renaldi et stationes, usque ad forum comunis et ad domum heredum condam ser Nicholai de Galvano, et a dicta domo ipsorum heredum condam ser Nicholai de Galvano citra
 30 per stratam que protendit versus puteum maris, per ante domum ser Gregorii de Leo et heredum condam ser Andre de Iudicibus, usque ad domum heredum condam domine Perere uxoris olim ser Francisci Rubei, et a dicta domo citra versus

¹⁾ Aggiunta marginale in corsivo tardo.